

28. 8<sup>bris</sup> 1786

Absolutio D. Romée à  
Prioratu D. Leodii et institutio  
in Priorem ejusd. D. D. Thomae  
Bogaert, propterea absolutum  
a Prioratu D. Diestensis.  
Et institutio D. Francisci  
Beekers prof. et Proc<sup>nis</sup>  
D. Diestensis in Priorem ejusd. D.

frater Hilarion Prior Cartusie nec non Cartusiensis ordinis Minister  
Generalis Venerabilibus in Christo Patribus ad quos presentes spectant,  
salutem et spiritualium Charismatum abundantiam.

Cum nihil antiquius nobis esse debeat quam ut omnium  
Subditorum et imprimis Prælatorum ordinis consolationi provideamus,  
enixis precibus Venerabilis Patris Domni Philippi Romsee Prioris  
Domus Leodii, ut onere pastoralis propter continuas ac graves suas  
infirmittates levetur, tandem adducti, tenore presentium  
nostræque ac Capituli generalis auctoritate super annum in nos  
transfusâ, sequentes dispositiones ordinamus prout sequitur.

Priori domus Leodii ad suam maximam instantiam fit misericordia;  
et præficimus in Priorem dictæ domus venerabilem Patrem Dominum  
Thomam Bogaerts propterea à Prioratu domus diestensis absolutum.  
Et Prior absolutus exerceat officium Correrii.

Priori domus diestensis alibi instituto fit misericordia.  
et præficimus in Priorem dictæ domus venerabilem Patrem Dominum  
franciscum Beckers professum et Procuratorem ejusdem domus:

Mandantes omnibus Personis ordinis in duabus præfatis domibus  
degentibus ut Priori sibi per presentes specialiter instituto  
debitam exhibeant obedientiam ac reverentiam. In nomine  
Patris, et filii, et Spiritus Sancti, Amen. Accingant se nunc  
ambo novi Priores et Confortentur in Domino ut erga fratres suos  
omnem paternam sollicitudinem impleant, omnisque justitiæ  
et observantiæ regularis exemplum verbo et opere illis  
præbere diu noctuque non desinentes, fidelibus dispensatoribus  
repromissam mercedem tempore suo adipisci mereantur. Quod ut  
certo certius fiat, opulentum singulis de Cælo apprecamur auxilium.

Datum Cartusie sub Syngrapho et Sigillo consuetis die 28. octobris  
anni 1786.